



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacrosancto Missæ Sacrificio Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio X. Argumentum. Exponitur verbum Transmutatur positum in definitione Sacrificii; de cujus essentia demonstratur esse Transmutatio, idest interemptio, & destructio Victimæ Oblatæ. Objecta non ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94659)

fluentes ad Sacramentum, sed se tantummodo inclinantes. 5. Non dicunt *Agnus Dei* ante Communionem, sed dicta unica Oratione *Domine Jesu Christe Fili Dei vivi*, se communicant, sumentes utramque speciem; deinde bis dicunt, *Agnus Dei, qui tollis, &c.* Explicato Corporali, ac cooperto Calice legunt Communionem, & post Communionem, ut in Missali Romano, Dominus vobiscum, Ite Missa est, Placeat tibi Sancta Trinitas, sed non benedicunt populum, neque dicunt Evangelium: In principio erat verbum, quod pariter observat Magrius verb. *Benedictio col. 2.* Sed facta sibi signo Crucis, cooperiunt Altare, exiunt, & deponunt in eo paramenta Sacra, & prostrati ad gradus Altaris orant dicentes: *Pater, & Ave*, mox ad cellam revertuntur. In Missis infra annum variant sæpe in Epistolis ac Orationibus à Missali Romano; & habent diversas Missas particulares. Duo tandem sunt singularia in Carthusiensibus. Unum, quod non signant se manu expansâ, ut facimus nos, sed tribus primis digitis tantum, pollice, indice, & medio, reliquis duobus digitis contractis, in symbolum SS. Trinitatis. Magrius in verb. *Crux col. ult.* Alterum, quod in Missa solemnè non utuntur Subdiacono, sed Diacono tantum; Epistola enim cantatur in Choro à Lectore. Idem Magrius verb. *Epistola.* Et hæc dicta sint de Liturgiis & Ritibus vetustis harum Religionum, quibus magis elucet Ritus Missalis Romani, & constat, antiquitus eundem Canonem Missæ fuisse adhibitum, quo etiam nunc nos, & ipsi utimur.

DECISIO X.

ARGUMENTUM.

Exponitur verbum *Transmutatur* positum in definitione Sacrificii; de ejus essentia demonstratur esse Transmutatio, id est interemptio, & destructio Victimæ oblata. Objecta non injucunda proponuntur, & resolvuntur.

SUMMARIUM.

- 1 Victimæ est transmutanda, & destruenda in Sacrificio ad differentiam rerum oblatarum Deo, quæ remanent in suo esse.
- 2 Vita hominum esset offerenda pro Dei cultu; ejus loco offertur alia Victimæ in Sacrificio.
- 3 Sacrificia tam Legis Naturæ, quam Mosaicæ fiebant per destructionem Victimæ.
- 4 Melchisedech an destruxerit oblatum Panem Deo? & num. 9.
- 5 Panes Primitiarum an destruerentur? & num. 10.
- 6 Hirco, oblatum in Sacrificio pro peccatis populi, dimittebatur vivus ad desertum. Et cur? num. 9.
- 7 Passer, sacrificatus pro purganda domo Leprosi, vivus remanebat. Et cur? d. num. 9.
- 8 Corpus Christi in Sacrificio Missæ non destruitur realiter, sed mystice. Et num. 10. & 12.
- 11 Panis, & Vini substantia destruitur in Missa.
- 12 Species Sacramentales in Missa quomodo immutentur?
- 13 Sacrificii Missæ essentia in qua actione consistat?

Diximus in definitione Sacrificii, quod Victimæ debet esse res aliqua sensibilis, & permanens, quæ consecratur Ritu Mystico; & subinde, quæ transmutatur; unde cum in præterita Decisione docuimus, qui, & quales sint Ritus Mystici & Sacri, servandi in Sacrificio Missæ, nunc oportet, ut exponamus, quid denotet verbum illud *Transmutatur*; & loquamur de Transmutatione Victimæ, quæ sacrificatur.

Pro intelligentia repetenda sunt ea, quæ diximus in Decis. III. videlicet duo esse de essentia Sacrificii considerari in se; protestationem, quam facit homo, dum sacrificat, Excellentia Divinæ, supremæque Potestatis Dei, à cujus nutu pendet omnis creatura, & destructionem rei oblata in Sacrificio, ad significandum, quod divina Majestas potest pro libito res nostras & vitam nostram destruere. Igitur in definitione Sacrificii positum est verbum illud *Transmutatur*; tum ad differentiam simplicis Oblationis alicujus rei, factæ pro divino cultu exercendo, quæ non transmutatur, sed remanet in suo esse, ut donatio Lampadis, Calicis, ædificatio Templi, & hæc de causâ, non potest dici Sacrificium; tum ut evidentius intelligamus, requiri ad essentiam Sacrificii, ut Victimæ oblata mactetur, transmutetur, & destruat, vel in totum, vel in partem; ad demonstrandum supremum Dei principatum, & dominium vitæ nostræ, & ad significandum, dignum esse Deum, in cujus honorem & cultum omnes homines propriam vitam, & quicquid possident, consumunt, & destruant. Sed quia regulariter id non licet, neque à Deo permittitur, offerunt homines pro propriis bonis, & pro propria vita Victimam illam, id est entitatem alterius rei; illam transmutando, mactando & destruendo cum protestatione, quod scilicet, & oportere, eodem modo destruerent, transmutarent, & sacrificarent, quicquid possident, ac etiam propriam vitam in honorem, & cultum Dei. Ita docent Theologi post S. Thom. 2.2. q. 85. art. 1. Emin. Card. de Lugo de Sacrament. Eucharist. disp. 19. sect. 1. & Gonet. tom. 4. tract. 11. disp. 3. de Religione & actibus ejus art. 3. num. 11.

Hinc iidem Theologi observant, quod omnia Sacrificia tam Legis Naturæ, quam Legis Mosaicæ fiebant, non simplici Oblatione rei, seu Victimæ ad Altare Domini, neque solâ elevatione; sed perficiebantur per ipsius rei, ad victimæ destructionem; nam si erat animata, ut animalia quadrupedia, vel volatilia, hæc occidebantur, & eorum carnes, vel in toto, seu in parte cremabantur; si verò res erat inanimata, tunc vel erat solida, ut Simila, Sal, Thus, & pariter cremabatur in Sacrificio; vel erat fluida, ut Sanguis, Vinum, Oleum, Aqua, & effundebatur; juxta præscriptum Domini, de quo in Libro Levitici cap. 1. & 2.

Cæterum contra prædicta videntur ob stare, infra scripta argumenta.

Primo. In Sacrificio quod peregit Melchisedech offerens Panem & Vinum; nulla facta fuit transmutatio, seu destructio ejusdem panis & vini oblatis; ait enim textus. Gen. 14. 18. *Ait vero Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum* (erat enim Sacerdos Altissimi) benedixit ei, &c.

Secundo: Dum offerebantur in Sacrificio Panes Primitiarum, & cum eis septem Agni, nulla eorum fiebat destructio, aut transmutatio; ait enim Dominus ad Moysen in Levit. cap. 23. num. 20. de illis: *Cumque eleveritis eos Sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedens in usum ejus.*

Tertio;

Tertio: Idem dicendum venit de Hirco, qui offerrebat pro peccatis populi; ait etiam de illo Dominus, quod vivus dimittatur in desertum. *Tunc offerant hircum viventem, & posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israël; & universa delicta, atque peccata eorum; quæ imprecaus, capiti ejus, emittere illum per hominem paratum in desertum. Levit. 16. 21.*

Quarto: Simile habetur de Sacrificio pro purificanda domo Leprosi; in quo præceptum erat, ut inter cætera immolarentur duo passeret, unus quorum dimittebatur vivus volare in agrum; ut legitur *Levit. 14. 53*; ibi: *Cumque dimiserit passerem volare in agrum libere, orabit pro Domo, & iure mundabitur.* Ergo non semper mactabatur, & transmutabatur Victimæ in Sacrificiis, ut ex prædictis exemplis.

Quinto: In nova lege, in celebratione Missæ Christus offertur Deo in Sacrificium; & tamen cum Corpus ejus sit gloriosum, & impassibile; non destruitur, nec immutatur; juxta illud Apostoli: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur. Ad Rom. 6.* Ergo ad Sacrificium non requiritur vera, & realis immutatio Victimæ; sed sufficit ejus Oblatio.

His tamen non obstantibus affirmandum venit, immutationem Victimæ, ejusque destructionem in sacrificio esse necessariam ad essentiam Sacrificii; ut significetur supremum Dei dominium; & protestetur nostra subjectio, & promptitudo sacrificandi omnia bona nostra, ac etiam nostram vitam, si oporteret, pro ejus cultu, & gloria. Ad exemplum autem in contrarium adducta respondetur.

Ad primum enim de sacrificio Melchisedech omnes Sacre Scripturæ Interpretes, & Expositores in *cap. 14. Genesis* docent, ipsummet Sacerdotem Melchisedech igni tradidisse aliquid panis, & aliquid vini libamine consumpsisse; ut fieri solebat in Sacrificiis pacificis, id est ad gratiarum actionem institutis. Ita Gonet *d. tom. 4. tract. 11. disp. 3. num. 15.* & Eminent. Card. de Lugo *de Sacramento Eucharistie disp. 19. n. 9.*

Ad secundum pariter respondetur; quod licet Azor, *tom. 1. cap. 17. q. 2.* opinatus fuerit, oblationem Panum primitiarum non fuisse verum sacrificium, sed simplicem oblationem, & Vasquez *de Eucharist. disp. 220. num. 28.* eorundem Panum aliquam destructionem factam fuisse vel per coctionem in clibano, vel per frixuram in sartagine; nihilominus verius est, quod earum aliqua pars igne comburebatur super Altari; quod deducitur ex textu Hebraico *Levit. 24. vers. 9.* ubi pro eo, quod vulgatus interpres ait de Panibus propitiationis, *Sanctum Sanctorum est de Sacrificiis Domini*, sic habet: *Sanctitas Sanctitatum hoc est de ignitionibus Domini.* Ignitio autem proprie significat combustionem, & non coctionem panum; ut advertit Gonet *d. tom. 4. tract. 11. disp. 3. num. 15.* subdens, quod etiam duo illi agni, de quibus fit mentio *Levit. cap. 23.* non tantum elevabantur coram Deo; sed etiam occidebantur in Dei honorem; & postea in esum Sacerdotum cedebant; ut ibidem docent Interpretes. Nec obest, quod Scriptura non faciat mentionem hujusmodi omnium actionum; quia non omnia semper exprimit, ut patet ex eo, quod Apostolus ad *Hobr. 9.* refert, Moysen accepisse sanguinem vitulorum, & hircorum, & aspersisse librum cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo, & tamen in *Exodo cap. 24.* de hyssopo, & lana coccinea, neque de aqua, asperione libri scriptum est; sed hoc sola traditione constabat, & notum erat Judæis; itaut Apostolo nulla probatione opus fuerit.

Ad Tertium, & Quartum itidem respondetur, quod cum in illis Sacrificiis offerrentur duo Hirci, & duo Passeres, satis erat ad eorum integritatem, ut unus Hircus, & unus Passer occideretur; alter vero vivus dimitteretur; nimirum ad representandam Christi mortem per hircum, & passerem occisum; ejus vero resurrectionem per hircum, & passerem vivum. Vel quod Christus quæ homo tantum passus, & mortuus sit; manens quæ Deus impassibilis, & vivus. Ita Gonet *d. disp. 3. num. 16.*

Ad Quintum respondetur; quod licet in Sacrificio Missæ non fiat cruenta immolatio; neque realis occisio Victimæ, sed mystica tantum; nihilominus satis sit essentia Sacrificii per immutationem rei Oblatæ, & Mysticam Hostiæ occisionem; hoc est Sacramentalem Christi desitionem sub speciebus. Pro clariori autem intelligentia scire oportet; quod tria sunt in Sacrificio, quæ concurrunt, & obtinent locum Victimæ, seu Hostiæ immolandæ; scilicet substantia panis, & vini: Christus ipse, qui sit sacramentaliter præsens sub speciebus; & Species Sacramentales, quæ permanent cum substantia Christi, & prius erant cum substantia panis, & vini.

Materia panis, & vini, etsi proprie, & principaliter non sit res, quæ immolatur, & sacrificatur, aliquo tamen modo est materia hujus Sacrificii; de qua Ecclesia dicit. *Suscipe Sancte Pater Omnipotens Aterne Deus hanc immaculatam Hostiam, &c.* Et *Offerimus Tibi Domine Calicem salutaris, &c.* Illud autem, quod tunc Sacerdos in manibus tenet, est substantia Panis, & Vini; unde licet illa oblatio non sit formaliter immolatio, saltem indicat; illud quod tunc offertur, esse materiam Sacrificii, quatenus constat ex pane, & vino, tanquam ex termino à quo; & materia transeunte, cujus substantia destruitur in consecratione; & sic quodammodo est Victimæ, quamvis non principaliter intenta.

Secunda res est ipse Christus, qui proprie, & principaliter in hoc Sacrificio offertur, ut docet *Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. & cap. 2.* & ipse verè est Victimæ, & Hostiæ, quæ immutatur in Communionem; quia licet non destruat quoad esse simpliciter, sicut in antiquis Sacrificiis Victimæ mactabatur, & cremabatur, tamen destruitur quod ad esse Sacramentale, & quamvis non desinat quod ad substantiam; bene tamen quod ad præsentiam Sacramentalem; idque prorsus sufficit, ut proprie dici possit Eucharistia Sacrificari; quia hoc Sacrificium sic Deus instituit; & hoc modo extraordinario, & singulari, aliis victimis, & Sacrificiis non communi.

Tertia res sunt Species Sacramentales, quæ & ipsæ pertinent ad rationem Victimæ immolatæ in hoc Sacrificio; dum faciunt illam sensibilem, & humano usui accommodatam, & ideo ipsæ quoque valde immutantur tum in consecratione, per quam abstrahuntur à subiecto; tum in sumptione, per quam totaliter consumuntur, & destruantur; & hoc est, quod habetur in *Can. Hoc est. De Consecr. dist. . .* ubi dicitur: *Hoc Sacrificium duobus consistere, visibili elementorum specie; & invisibili Domini nostri Jesu Christi carne, & sanguine.* Ut subtiliter, sed

D

sed

sed piè, ac doctè differit Maffius in 4. *Sent. disp. 4. quest. 4. art. 1.* ubi sub num. 73. respondet Valquezio, Coninchio, Meratio, & aliis contendentibus rem immolatam esse solum Corpus, & Sanguinem Christi; non autem species Sacramentales; concedendo eorum doctrinam, si de Hostia, & Victima substantialiter sumpta intelligatur; secus si secundariò, & ut quid minùs principale; ut dictum est de speciebus Sacramentalibus; quæ concurrunt ad rationem Hostiæ, & Victimæ Oblatæ accidentaliter, quatenus reddunt eam sensibilem.

Ex his colligere debemus, quòd cùm plures sint actiones in Sacrificio Missæ; videlicet Oblatio ante, & post Consecrationem; ipsa Consecratio, fractio Hostiæ consecratæ; & sumptio Sacramenti, ipsarumque specierum Sacramentalium; quamvis Theologi discrepent inter se, demonstrando in quæ ex prædictis actionibus consistat essentia Sacrificii; verior tamen, & probabilior est opinio, essentiam ipsam Sacrificii Missæ consistere in consecratione, & sumptione simul; ita ut neque sola consecratio, neque sola sumptio dicat perfectum Sacrificium; sed utraque sit necessaria; quia in consecratione immutatur, & destruitur substantia Panis, & Vini, & ponitur separatio mystica Sanguinis à Corpore Christi; quæ realiter facta fuit in Cruce, & in sumptione destruitur Victima, idest Christus quo ad esse Sacramentale. Undè sequitur, quòd si Sacerdos celebrans moriatur ante sumptionem, debeat alius etiam non jejunos sumere Sacramentum, ne Sacrificium remaneat imperfectum, *cap. Nihil, & cap. Illud. 7. quest. 1.* Sola autem sumptio non sufficeret, nisi præcederet consecratio in eodem Sacrificio, aliàs sequeretur, quòd dum Laici, vel Sacerdotes se communicant extra Missam, Sacrificium facerent, quod dici non potest; ut fusè demonstrat Maffius *4. disp. 4. quest. 4. art. 2. in 4. Sentent. & in Theolog. Morali disp. 19. quest. 3. art. 1.* Et de hoc videndi Emin. Card. de Lugo de Sacramentis Euchar. *disp. 19. sect. 3.* Lessius de Justit. & Jure lib. 2. *cap. 38. à num. 14. & seq. Et in Opere Posthumo. Quest. 83. dub. 6. à num. 31.* Et novissimè Collegium Salmanticens. tom. 11. de Sacramentis in genere tract. 5. de Missæ Sacrificio *cap. 1.*

DECISIO XI.

ARGUMENTUM.

Agitur utrum Martyria sint Sacrificia? & an Sancti Martyres, qui obierunt in odium fidei, Victimæ vocari possint, & Hostiæ Deo immolatæ?

SUMMARIUM.

- 1 Martyres Christi an dici possint vera Victimæ, & eorum Martyria fuerint vera sacrificia?
- 2 Rationes pro affirmativa.
- 3 Eleazari Machabæi fortitudo laudata, tanquam Victimæ oblata Deo.
- 4 SS. Innocentes Martyres Victimæ vocati.
- 5 S. Symphorosa, & septem ejus filii Martyres Hostiæ nuncupantur.
- 6 Martyria Sanctorum non sunt sacrificia ex pluribus rationibus hic relatis.
- 7 Martyria Sanctorum dici possunt Sacrificia in sen-

su translato, & metaphorico; secus autem in sensu proprio, & stricte accepto.

8 Sacrificium verum, & proprium fuit Passio, & Mors Redemptoris nostri in Cruce.

9 Sacrificium cruentum Redemptoris in Cruce potest dici etiam Martyrium.

Cum in superiori Decisione probatum sit, esse de essentia Sacrificii, ut Victimæ, seu Hostiæ Oblatæ transmutetur, vel per interfectionem, vel quancumque aliam destructionem; cumque Sancti Martyres occisi, & necati fuerint in odium fidei; dubitare contingit: An eorum Martyria vocari possint Sacrificia? Et videtur respondendum affirmativè.

Primò, quia illud est Sacrificium, in quo Victimæ mactatur, & occiditur ob Dei honorem, in protestationem ejus Supremi domini, & nostræ subjectionis eidem Deo, Auctori, & Domino omnium rerum, ac etiam nostræ vitæ. Sed Sancti Martyres passi sunt se occidi, & interiri ob Dei honorem, & gloriam; protestantes, se nolle adorare Idola falsa; sed recognoscere solum Deum verum; cui soli cultus, & adoratio debetur; & ob cujus gloriam propriam vitam tradiderunt; confidentes Deum esse eorum principium, & finem; ac Auctorem suæ vitæ. Ergo eorum Passiones, & Martyria verè fuerunt Sacrificia.

Secundò, & hoc confirmari posse videtur auctoritate S. Gregorii Nazianzeni, qui commendans fortitudinem Eleazari Machabæi eligentis potius mori, quàm carnem porcinam manducare, ut habetur 2. Machab. 6. ita loquitur de illo Orat. 20. de Machabæis. *Is vir, & Sacerdos, & senex, canus capillis, canus & prudentia; prius quidem populo sacrificabat, & orabat: nunc autem semetipsum Hostiam obtulit Deo perfectissimam ad totius populi expiationem.* Quid clarius scribi potest? sed ulterius ita prosequitur de aliis septem Fratribus Machabæis jussu Antiochi Regis occisis, quia legem Dei transgredi noluerunt. *Obtulit autem & filios septem, suæ fructus disciplina, hostiam viventem, sanctam, beneplacitam Deo, omni Legali Sacrificio splendidiorem, & superiorem.* Ergo secundum doctrinam S. Gregorii Nazianzeni, omnium Theologorum Principis, Martyria, & passiones Sanctorum sunt Sacrificia.

Tertiò confirmatur ex Breviario Romano in festo SS. Innocentium; in quorum hymno ad laudes. 4 sic de eis canit Ecclesia:

*Vos prima Christi Victimæ,
Grex immolatorum tener,
Aram sub ipsam simplices
Palma, & coronis luditis.*

In quibus verbis fit expressa mentio Victimarum, Immolationis, & Altaris. Sed ubi est Victimæ, & ejus immolatio super Altare, est Sacrificium. Ergo Sanctorum Martyria sunt Sacrificia.

Quartò his addi possunt, quæ recitantur in eodem Breviario die 18. Julii in festo SS. Symphorosæ, & septem eorum filiorum Martyrum, videlicet post relata eorum tormenta, & mortem in odium fidei, subduntur hæc verba: *Ita octo Hostiæ Deo gratissima sunt immolatae.* Sed immolare Hostias Deo est Sacrificium facere. Ergo mortes Martyrum sunt Sacrificia.

Pro